

ARTICULUS IV.

DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE, ITEM MANDATO.

§51. *Dico I.* Locatio conductio est contractus consensualis, bonæ fidei, quo usus rei, vel opera personæ alteri pro certa mercede conceditur, *Princ. Inst. et §. 1. h. t. L. 14. 22. ff. Locat. Conduct.* Hinc tria hæc ad hujus essentiam contractus requiruntur, et sufficiunt: 1°. Consensus mutuus, non vero actualis traditio. 2°. Res utenda, vel præstanda opera. 3°. Locarium, sive merces. Universim vero locatio conductio est rerum, quando rei usus; vel operarum, dum operæ illiberales præstantur; vel operis faciendi, dum opus conficitur pro certa mercede.

In *locatione rerum* is locator dicitur, qui rem utendam, vel fruendam concedit; conductor vero, qui accipit. In *locatione operarum* is, qui promittit vel præstat alteri operam pro mercede in ordine ad conficiendum opus, diverso sensu idem locator est et conductor; locator respectu operæ, conductor respectu operis: e contra qui operam postulat, ac dat mercedem, conductor est operæ, e locator operis, *L. 22. cit. §. 2.* Ac universim, qui recipit mercedem pro usu rei suæ, vel opera sua, *locator* dicitur; qui vero mercedem dat, *conductor*; qui tamen subinde alia in specie nomina in jure sortitur; qui enim agros conducit, *colonus*; qui ædes, *inquilinus*, *L. 37. ff. de acquir. poss.*; qui vectigalia, *publicanus* appellatur; *L. 16. ff. de V. S.*

Dixi vero: quo *usus rei, vel opera pro certa mercede* conceditur; hinc elucet 1°. magna hujus contractus cum emptione venditione similitudo; quin iisdem ferme legibus, quibus emptio venditio, regulatur, *pr. Inst. h. t.* Differt tamen locatio ab emptione maxime, quod in locatione res non in perpetuum, sed ad certum plerumque tempus pro mercede præstetur. 2°. Hinc et utriusque locatoris et conductoris obligatio deducitur.

Conductoris quidem obligatio est 1°. solvere mercedem conventam totam; quin, si in mora sit culpabili, cum usuris. 2°. Non deserere rem conductam ante finitum conductionis tempus, sine justa causa. 3°. Uti re conducta non ad alium usum, quam qui conventus. 4°. Damnum ferre, si res conducta ejus culpa lata, vel levi pereat, aut deterioretur, velut si inquilini culpa, ejusve domesticorum contractæ fenestræ, fornaces, seræ, etc. Communis auctorum per §. 5. *Inst. L. 9. 11. 13. 25. ac seqq. ff. h. t.*

Locator rerum tenetur 1°. dare liberum rei locatæ usum. 2°. Compensare expensas in rem locatam factas; ac quidem necessarias per se; utiles; si eas conductor cum locatoris scitu fecerit. 3°. Compensare damna conductori illata ex rei locatæ vitio, quod sciebat; imo si locavit dola vitiosa, licet ignoranter, ex speciali dispositione juris, *L. 19. §. 1. ff. h. t.* quia lex in hoc casu præsumit ignorantiam culpabilem. Constant hæc ex *L. 9. 13. 15. 19., etc. ff. h. t.* Sed et 4°. nequit expellere conductorem, nisi ob mercedem biennio non solutam, *L. 54. 56. ff. h. t.* vel ob malum rei usum, *L. 3. C. h. t.* vel ob necessariam reparationem, vel usum ipsi domino necessarium, *ibid.* Unde infertur, quod etiam, re vendita, eum expellere possit, juxta vulgatum illud Germanorum: *Kauff gehet vor Mieth.* 5°. Regulariter tene-

tur remittere mercedem vel totam, vel partem, si conductor sine sua culpa, sed vel injuria tempestatis, vel alio casu fortuito notabile passus damnum, *c. 3. h. t. L. 15. et 25. §. ff. eod.* Ac ratio est; quia pensio in locatione rei frugiferæ ad compensandos fructus percipiendos constituitur; ergo vel nulla, vel modica debet exigi pensio, si nulli, vel modici possint fructus percipi. Dixi tamen: *regulariter*; excipi enim debet 1. si aliter fuisset conventum. 2. Si damnum sit modicum, *L. 25. ff. h. t. 3.* Si damnum compensetur per præcedentium, vel sequentium annorum fertilitatem. 4. Si jam collecti fuissent fructus, et postea periissent casu, ut incendio.

Locator operæ tenetur 1°. remittere mercedem, si sua culpa non præstitit, quod promisit, *L. 15. §. 6. ff. h. t. 2°.* Non recedere sine justa causa ex servitio ante finitum tempus; uti et conductor sine causa ex eodem nequit ante terminum expellere. 4°. Compensare damna ex immaturo discessu orta domino; id enim poscit justitia, ac *arg. L. 1. C. de serv. fugit.* Unde non peccant solum famuli, ancillæ, etc. sic discedentes, sed et tenentur ad compensanda damna inde profecta.

§52. *Dico II.* Mandatum est contractus consensualis, bonæ fidei, quo negotium honestum, ab alio ex fiducia committitur et gratis administrandum gerendumque suscipitur, *L. 1. ff. h. t.* Mandatum nomen a *manus datione* traxit, ait *Isidorus L. 4. cap. 4.* Orig. Olim mandatum officio atque amicitia aestimabatur; postea actionem ex mandato Romani dederunt.

Dictum vero 1°. negotium *honestum*; res enim prohibita et illicita mandari non possunt, neque ulla ex ejusmodi mandatis nascitur obligatio, §. 7. *Inst. L. 6. 22. ff. h. t.*

2°. *Ex fiducia*, eo quod mandans in mandatarii persona singularem ponat fiduciam. Hinc et mandatarii obligatio intelligitur: 1. ob hanc fiduciam nequit ordinarie substituere alium: quod tamen si fecisset, ac rem æque feliciter gessisset per alium, mandans ex gestis obligatur, *L. 8. 46. ff. h. t.* 2. Tenetur ad culpam etiam levissimam, *L. 13. ff. eod.* 3. Ob dolum et culpam latam notatur infamia, *L. 1. 6. ff. de his, qui not. infam.* 4. Fines mandati nequit excedere, *L. 5. ff. §. 8. Inst. h. t.* nec mandans mandatarii excedentis facto tenetur.

3°. *Committitur et gratis suscipitur.* Per primum differt a *negotiorum gestione*, quæ quasi contractus est, in eo sita, quod quis negotium non commissum ultro suscipiat. Per alterum, quod *gratis* suscipiatur, contractus gratuitus esse intelligitur, ac differre a locatione. Hinc etiam a *jussu* distinguitur, quo potestati nostræ subditi striete obligantur, quin illi, quod jubentur, libere suscipiant.

ARTICULUS V.

QUID CONTRACTUS SOCIETATIS? QUÆ PACTA ILLI ADJICI POSSINT, SIVE AN CONTRACTUS, DICTUS VULGO TRINUS, LICITUS ET HONESTUS SIT?

De honestate atque utilitate contractus societatis nemo dubitat; ut ejus tantum hic jura exponenda sint. Solet vero non raro contractui societatis adjici conventio, qua conferens pecuniam in societatem, cum cæteris sociis

paciscitur, ut, quidquid contigerit, sua sors salva maneat, reddaturque integra cum lucro certo, sed minore, quam sit illud, quod alio merito sperare potuisset. Conventio hæc contractus *trinus* dicitur, eo quod contineat 1º. contractum societatis; 2º. assecurationem sortis; 3º. venditionem lucri incerti sperati pro certo minore. Contractum hunc trinum ceu illicitum rejecere DOM. SOTUS, BANNEZ cum quibusdam aliis; recentius vero tanquam usuræ reum ad tribunal vocavit, damnavitque P. CONCINA, in *Diss. Hist. Theol. de usura Contr. Trini. Jure? an injuria? ex dicendis patebit.*

553. *Dico I.* Societas est contractus consensualis, bonæ fidei, inter duos, vel plures initus, de conferenda re, vel operâ in commune, lucri in commune faciendi causa. Sumitur ex *Inst. h. t. ac tot. tit. ff. pro Socio.*

Dicitur 1º. *Contractus consensualis*; quo ejus differentia a *rerum communione* intelligitur; hæc enim societatis effectus est, ac stare potest sine omni societate; in eamque etiam casu incidere possumus, ut si pluribus eadem res testamento legata est, *L. 2. ff. Comm. divid. estque quasi contractus.* At societas est contractus verus: eam non nisi consensu inimus; eoque præcise perficitur.

2º. De conferenda re, vel operâ. Hinc 1. a *quantitate* rerum collatarum triplex est societas: *universalis*, qua bona omnia, præsentia et futura, quocumque titulo quæsitâ communicantur, *L. 3. §. 1. L. 73. §. 1. pro Soc.* Deinde *generalis*, qua illa solum, quæ ex quæstu veniunt, in commune conferuntur, *L. 7. et 8. ff. eod.* Demum *singularis*, qua vel unius rei certæ, vel unius negotiationis causa societas initur: 2. A *modo*, quo res, vel operâ in commune confertur, rursus societas tripliciter fieri potest: *Primo* si plures eam inter se contrahant sic; ut, quidquid in hac societate agitur, celebratur cum extraneis, omne totius fiat societatis nomine. *Deinde* si duo ita contrahant, ut unus duntaxat pecuniam conferat, quin ipse laboris, industriæ aliquid suscipiat, sed onus negotiationis omne alter solum habeat, *L. 5. ff. h. t.* Demum si ita paciscantur plures, ut quilibet suo negotietur nomine, sed, lapso anno, negotiationis, lucri et damni, inter se rationes reddant.

3º. Lucri in commune faciendi. Hinc 1. prohibita, ac illicita est societas, in qua unus soli sibi lucrum omnè stipulatur; alter vero omne damnum solum suscipit; dicta vulgo *leonina*, ab apologo apud PHÆDR. *Lib. 1. fab. 5.* cum leo, qui nullum periculum subierat, nihilominus asinum, prædam communem ex venatione dividendam, discerpsit; qua socii calamitate cautior facta vulpecula, prædam ferme totam leoni reliquit, *L. 29. ff. h. t. 2.* Hinc communionem inducit societas; ac consequenter jus dat in re, quæ, et quatenus communis est; unde, cum ad quemlibet rei suæ commoda et incommoda pertineat, facile patet, quod æqualitas, inter socios servanda, respiciat primo ad communionem *lucri*; secundo ad communionem *damni*. Divisio autem lucri et damni inter socios, pro diversis casibus, diversa et implicata est. Ac quidem ejus determinatio fieri ex mathesi solet ad jus applicata; de quo vid. WOLFFIUM *de Jur. Nat. part. 4. §. 1343.* et passim arithmeticos de regula societatis, sive consortii. Hic interim sequentes sufficiant generales *regulæ* pro divisione lucri et damni inter socios.

Regula 1º. Si partes non sint nominatim expressæ, partes lucri et damni

æquales sunt, *L. 29. pr. ff. pro Soc. §. 1. Inst. h. t.* æqualitate tamen non arithmetica, sed geometrica, nimirum pro rata pecuniæ, vel operæ collatæ, *L. 6. et 8. ff. eod.*

Regula 2º. Si vero partes expressæ fuerint, eæ servandæ sunt, etsi inæquales sint, *§. 4. Inst. h. t. L. 29. cit.* cum enim contractus ex conventionem legem accipiant, pacta contractui societatis adjecta quoad divisionem lucri et damni servare oportet; nisi vel substantiam societatis everterent, vel prohiberentur jure positivo, vel naturalem æquitatem violarent, ponendo inæqualitatem, quæ non compensaretur in alio. Sicut vero voluntaria liberalitas; sic pactum, quo compensatur aliqua inæqualitas, substantiam societatis non evertit; modo remaneat aliqua communio seu participatio lucri et damni, quæ, utpote necessario ex societatis natura fluens, nunquam potest tolli omnino, salva societatis substantia; sicut per pactum adjectum emptioni non potest prorsus removeri omnis res, omne pretium; etsi per varia pacta varias pati alterationes possint.

Regula 3º. Si alius rem, alius operam contulerit, lucrum quidem et damnum commune fit, non autem sors, *§. 2. Inst. et L. 52. ff. L. 1. C. h. t.*

554. *Dico II.* Licitus et honestus est contractus trinus, supra descriptus, etiam inter easdem personas eodem tempore initus. Ita Theologi plurimi et gravissimi, de quibus infra.

Prob. I. Juxta leges, ex quibus naturam contractuum discimus, potest sic iniiri societas, *ut quis lucri partem ferat, de damno non teneatur, §. 2. Inst. de Societ. Item, ut nullius partem damni alter sentiat, lucrum vero commune sit, L. 29. §. 1. ff. pro Soc.* Sed hoc per assecurationem contingit; ergo assecuratio inter socios habere locum potest. Sed et conventio de lucro certo minore pro majore sperato et incerto, cum pariter leges approbent societatem, in qua socius *collatam pecuniam cum certa quantitate* recipit ex pacto, et reliquum lucrum omne alteri socio ceditur, *L. 52. §. 7. ff. pro Soc.* Favet etiam non obscure INNOCENTIUS III. *c. per vestras. 7. de Donat. inter vir. et uxor.* ubi, cum vir ad inopiam vergeret, et cautionis pro dote præstandæ esset impotens, jubet dotem mulieris *alicui mercatori committi, ut de parte honesti lucri vir onera possit matrimonii sustentare*; dubium enim esse nequit, hic a Pontifice contractum societatis suaderi: sed et hic pactum assecurationis adjunctum fuit; alias enim dotem, cujus tamen securitati consultum volebat, periculo multo magis æstimabili exposuisset; damnum enim mercatori casu fortuito, qui apud mercatores infrequens non est, obveniens, pro rata dotem ex natura societatis contingeret, utpote cujus periculum absque contractu assecurationis mercator non susciperet. Accessisse quoque pactum de lucro certo minore pro majore incerto verosimillimum est; per lucrum enim incertum non obtinebatur finis Pontificis; bene tamen per pactum de certa parte honesti lucri.

Prob. II. Contractus iste triplex potest licite et honeste divisim iniiri cum diversis; ergo etiam simul inter personas easdem. *Ant.* ab adversariis admittitur plerisque. Et vero 1º. societas per se honesta est, omnique jure approbata; similiter 2º. pactum assecurationis, ut constat ex *num. 549.* Sed etiam pactum de lucro certo minore pro incerto majore sperato; est enim emptionis species: sicut igitur spes copiosæ piscationis

venditur pro determinato pretio; sic spes majoris lucri. Nec læditur hic justitia, cum tempore contractus detur utrinque æqualitas inter spem lucri et metum damni, *L. 8. ff. de contrah. empt.* Hic enim *alea* intervenit; quos contractus, dum ab æqualitate non receditur, honestos esse, omnes uno ore affirmant cum Theologis Jurisconsulti. *Prob. Cons.* Natura enim unius contractus non excludit conjunctionem aliorum, velut in emptione venditione patet; quæ enim alicui contractui naturalia sunt, ut est communio damni societati, possunt per pactum abesse, quin evertatur contractus substantia. Sed neque *æquitati naturali* quidquam officit illa contractuum conjunctio; inæqualitas enim, quæ per assecurationem advenit societati, compensatur per spem majoris lucri, quod assecuranti socio ceditur, ac non raro multum superat lucrum minus certum.

Accedit plurimorum, ac gravissimorum Doctorum auctoritas, JOAN. MAJOR in *4. Sent. Dist. 15. Q. 49.* MARTIN. NAVARR. *Man. Conf. c. 17.* MALDER. in *2. de Just. Tr. 5. Cap. 2. Dub. 9.* CARDIN. TOLETUS *Instr. Sacerd. Lib. 5. cap. 41.* MOLINA de *J. et J. Tr. 2. Disp. 417.* LESSIUS de *J. et J. Lib. 2. Cap. 25. Dub. 3.* CARDIN. DE LUGO de *J. et J. Disp. 33. Sect. 5.* MASTRIUS *Theol. Mor. Disp. 5.* GIBALINUS de *Usur. Lib. 6. etc.* Quibus adde Academias complures et Facultates Theol. COLONIENSEM, TREVIRENSEM, COMPLUTENSEM, SALMANTICANAM, MOGUNTINAM, INGOLSTADIENSEM, etc. quas exhibet Libellus Parisiis tertium editus anno 1743. sub titulo: *Examen Théologique sur la Société du prêt à rente.*

555. *Obj. I.* Contractus ille trinus cum societate *leonina* coincidit: sed hæc vel ab ipso jure civili proscripita est, *L. 29. ff. pro Soc.*; ergo.

II. GREGORIUS XIII. respondens WILHELMO BAVARIÆ Duci, usurarium declaravit contractum, quo quis dat alteri pecuniam, ut, præter annum censum, sors salva et integra reddatur: atqui si contractui societatis adjici posset pactum assecurationis, vel de lucro minore certo pro majore incerto, immerito ita respondisset S. Pontifex; quia dici contra potuisset, quod contractus propositus a WILHELMO nihil sit aliud, quam societas cum pacto assecurationis, ac lucro minore certo pro sperato majore.

III. SIXTUS V. in constitutione, quæ incipit *Detestabilis*, reprobat contractus posthac incundos, quibus cavetur pecunias, aut res alias in societatem conferentibus, ut quoquo casu sors ipsis salva restituatur a socio; vultque contractus ejusmodi censeri deinceps debere illicitos ac usurarios; simulque prohibet, ne societates ejusmodi, quæ usurariam pravitatem redolent, inean- tur talibus cum pactis; ergo.

IV. Conjunctio trium illorum contractuum chimerica est; communionem enim lucri et damni, tanquam notam characteristicam societatis, omnia exigunt jura: sed communionem hanc excludit assecuratio, ac venditio lucri majoris sperati pro minore certo; ergo chimericus est contractus trinus, sicut (ait P. CONCINA) hircocervus; licet nec hircus, nec cervus seorsim implicet.

V. Lucrum speratum, sive forsitan futurum, æstimabilitatem non habet; igitur nec æqualitatem cum re certo danda, quia lucrum omne assecurantis esse debet; cum ejus sit lucrum, cujus est periculum.

VI. Contractus trinus re ipsa est mutuum palliatum: 1º. quia effectus est idem; idem enim, quod per usuram ex mutuo, obtinetur per contractum

trinum; ergo. 2º. Quia conferens ita pecuniam, transfert hujus dominium in mercatorem, sicut mutuans in mutuatarium; pecunia enim sic collata mercatori perit, sicut mutuata mutuatario; ergo.

VII. Contractus trinus nullo modo tolerandus est: 1º. quia, ait P. CONCINA, inventus ad declinandam usuram; ergo in fraudem usurarum inventus est. 2º. Quia admissio contractu trino eludentur contra usuras leges omnes, omnisque exulabit usura.

Ad 1ºm. R. N. M. Societas enim leonina qualis sit, paulo ante dictum est, scilicet dum quis sibi omne lucrum stipulatur soli, alter omne damnum suscipit; sed in contractu trino lucrum dividitur, nec penes unum solum est; ac licet unus solummodo ferat periculum; id tamen compensatur cessione lucri majoris quanticumque futuri. Unde in ipsa *L. 29. cit.* dicitur, nihilominus ita coiri societatem posse, ut nullius partem damni alter sentiat; lucrum vero commune sit.

Ad 2ºm. R. N. min. cum prob. Contractus enim GREGORIO XIII. propositus ad nullam aliam speciem, quam mutui, poterat reduci; censum enim, vel societatis contractum non posse intervenire judicabant Theologi Romani, eo quod cum cujusvis conditionis homine poneretur iniri, citra personarum delectum, sive hæc industria in negotiando pollerent, sive non, ut jam suo loco observavimus. Si tamen cum delectu personarum fierent, quæ vel fructifera possiderent bona, vel industria pollerent, posse, judicabant in relatione ad summum Pontificem contractum hunc rationem habere vel census, vel societatis licite. Quid ergo hinc contra contractum trinum, qui potius inde probatur? Cum enim in contractu proposito S. Pontifici ponatur sors salva reddenda, et hic rationem societatis licite habeat juxta Theologos Romanos, si persona sit pollens industria, necesse est, assecuratio etiam supponatur intervenire, qua socius accipiens sortem assecurat.

Ad 3ºm. R. D. Reprobat, prohibet ejusmodi contractus, quia sunt usurarii in se, ac jure naturæ illiciti, etiamsi servetur æqualitas N. ex præsumptione usurariæ pravitatis; aut quando inæqualitas per eos inducitur, quæ non compensatur C. Vult SIXTUS V. ejusmodi contractus censeri usurarios ex præsumptione, sicut Pius V. in constit. *Cum onus*, illos, qui contractum censualem non cum ea forma, quam ipse præscribat, celebraverit; de quo vid. dicta de empt. cens. Sed hæc Sixtina constitutio, quatenus præsumptive velit haberi usurarios, nec in Belgio, nec Germania, nec tota Italia recepta est, nec in Gallia.

Quod vero SIXTUS V. non damnet hos contractus ut absolute usurarios, aut jure naturæ illicitos, inde evincitur, 1º. quod TOLETUS, cujus opera SIXTUS ad perficiendam hanc constitutionem usus, post ejus divulgationem in *Instruct. Sacerd. cap. 41.* hanc ipsam constitutionem laudans, aperte doceat, posse contractui societatis adjici illos duos, modo socius, aut alius hanc conditionem ineat libere. 2º. Quod BENEDICTUS XIV. lectis licet ante Conciniani demonstrationibus, aut rectius declamationibus contra contractum trinum, moneat Episcopos, ne quam censuram infligant sententiæ de honestate contractus trini; cum Apostolica Sedes nullam infligerit hactenus, etsi minus congruere videatur Sixtinae constitutioni. De Synod. Dioces. *L. 7. cap. 50.* 3º. Quod Rota Romana jam olim judicaverit, in constitutione Sixtina comprehendi solum casus usurarios de jure communi, additis tan-

tum majoribus pœnis, teste FLAVIO CHERUBINO in *Comput. Bullarii, Schol. 1. ad Bullam 43. Sæcti V.* ac quod Rota eadem recenter *per tres uniformes* in eadem causa decisiones, nimirum 4. Junii 1742. coram BUSSIO, 7. Junii 1743. coram MOLINO, 26. Junii 1744. coram PERALTA, judicavit, constitutionem Sixtinam non obesse contractui trino. Inquit verò Card. de LUCA *Relat. Rom. Cur. Disc. 32. n. 86.* alias præ centum probabilistis æstimatus a P. CONCINA, *stultitiæ speciem esse, privatorum scribentium auctoritatem exæquari huic auctoritati (Rotæ Romanæ).*

Ad 4^{am}. R. N. *Assert. Ad prob. M. R.* Vel per notam characteristicam, similesve phrases, intelligis contractus *substantiata*, vel *naturalia*? Si *primum*; nimiam juris ignorantiam prodis, quatenus ad substantiam societatis pertinere communionem *damni* contendis, contra apertam *L. 29. ff. pro socio.* cit. ante, et *§. 2. Inst. de Societ.* in Conclus. Si *secundum*; rursus error committitur, cum hæc, salva substantia, abesse possint, saltem alterari; possunt igitur hi tres contractus æque bene stare simul, quam hircus et cervus in eodem stabulo; neque enim ullus dicit, contractum societatis transformari in alterum assecurationis, sed tres contractus inter se distinctos celebrari simul posse cum eodem socio, sicut celebrari possunt cum diversis. Quod si vero per illos contractus inducatur inæqualitas, quæ non compensatur, injusta quidem, non tamen chimærica societas erit.

Ad 5^{am}. R. N. *Ant.* Lucrum enim speratum, vel futurum in spe æque est æstimabile, quam pisces in spe, vel fortuito capiendi; sed hi vendi possunt, *L. 12. ff. de Act. empt.* Sed et falsum est, *totum* lucrum ex assecurata sorte perceptum assecurantis esse debere; sufficit periculum ex assecuratione prudentis arbitrio taxatum compensari.

Ad 6^{am}. R. N. *Ass. Ad prob. 1^{am}.* R. N. *Cons.* Nihil enim notius ac certius, quam effectum eundem, lucrum idem posse per contractus varios inter se distinctos et quæri, et obtineri. Sic in contractu censuali idem habetur effectus, qui in mutuo; num inde quis inferat, emptionem venditionem census in se usurariam esse?

Ad prob. 2^{am}. R. N. *Ant.* Ineptus hic conceptus dominii est, certe non adæquatus, socium dominum fieri, *quia pecunia huic perit*; sic enim omnem tolles assecurationis contractum; sic et conductor fiet dominus rei locatæ, si hujus simul in se periculum suscipiat. Ex contractu isto nimirum et seria amborum conventionione tenetur negotiator pecuniam collatam cum reliqua applicare negotiationi utriusque nomine; unde non negotiator solum, sed et conferens illius pecuniæ retinet dominium. Quod autem hæc conferenti non pereat, non inde est, quod societas abierit in contractum mutui dominium transferentis, sed ex contractu assecurationis societati adjecto.

Ad 7^{am}. R. N. *Ass. Ad prob. 1^{am}.* R. N. *Ant.* Forma contrahendi per geminum pactum societati adjectum ad majorem commerciorum commoditatem, mutuamque contrahentium utilitatem inventa est. Sed et tota titubat argumentatio, velut si diceres montes pietatis inventos esse ad declinandas usuras; ergo in fraudem usurarum inventi sunt.

Ad prob. 2^{am}. R. N. *Ass.* Contractus enim hic non nisi cum iis iniri potest, qui alienæ pecuniæ subsidio possunt et solent acquirere lucrum majus, quam quod vi contractus præstare tenentur; si pecuniæ dentur alteri, non

nisi mutuum celebratum censebitur, ac lucrum inde perceptum usura, ut jam supra ad responsum GREGORII XIII. observatum est.

Prætermittito consulto argumenta alia, potius paralogismos, quibus præsertim P. CONCINA contractum trinum persequitur, ne debilitate argumentorum vim inferam legentis patientiæ, cum nec divinare quis poterit, quid ex iis concludi possit contra contractum trinum; velut dum eundem impugnat auctoritate S. BASILII in *Ps. 14.* S. AMBROSII *Lib. de Tob. cap. 14.* S. HIERON. *Comment. in cap. 18. Ezech.* INNOCENTII III. *cap. 7. de Donat. inter vir. et uxor.* ALEXANDRI III. *c. 4. de Usur.* cum singuli ne a longe tractent de trino contractu. Dehortatur S. BASILIUS a sumendo mutuo ob feneratorum insatiabilem cupiditatem. SS. AMBROS. HIERON. non in pecuniis solis, sed et in auctario cujuscumque nominis supra sortem recepto usuram committi. ALEXANDER III. loco cit. usurarum crimen ne quidem pro redimenda captivi vita admittendam vult. De INNOCENTIO III. quam potius pro contractu trino sit, ex ejus textu in prob. Conclus. tenes. Amabo! quid ergo ex his contra contractum trinum, non dicam probatus Theologus, sed Dialecticæ studiosus inferat?